

colligi posset nullam potestatem coactivam competere Ecclesiae, oporteret demonstrare asserere Apostolum omnem potestatem coactivam, quae exercetur in terris, esse penes principes civiles. Atqui id nec efficitur, nec effici potest. Docet enim parendum esse principibus, sed non dicit quod exercenda sit obedientia huiusmodi quoad omnia in quibus homines obedire tenentur, ita ut ii soli sint superiores quibus obediendum sit. Subiectos esse oportet ergo principibus civilibus, sed et principibus ecclesiasticis subiectos esse necesse est, nec unum alterum excludit.

c) Graece legitur: οὐδεις στρατευομενος ἐμπλεκεται ταις του βιου πραγματειαις, ἵνα τῷ στρατολογησαντι ἀρεση. Monet Bellarminus (Rom. Pont. L. V, c. 40) nec in omnibus latinis codicibus haberi illud *Deo*. Πραγματεια του βιου non est regimen aliquod vel potestas coactiva, sed negotiatio, mercimonium, seu cura sollicita parandi victum. Sensus itaque, interprete eodem Bellarmino, est: Dixi ut labores (v. praeced.) sicut bonus miles Christi; porro bonus miles non est sollicitus circa victum et corporis curam, sed parvo contentus est. Quare Apostolus exemplo ducto a militibus huius seculi prohibet nimiam sollicitudinem circa vitam corporalem christianis, qui milites sunt Christi, haecque dicuntur omnibus Christianis; omnes enim etiam laici esse debent milites Christi.

Ad 4^m. Ut opera sint meritoria debent esse immunita a necessitate, quae libertatem perimit, non a coactione quae extrinsecus adhibetur, et sub qua interior libertas integra manet. Ceterum exterior coactio non eo tantum spectat ut homines revocentur a malo, sed potissimum ad tutelam ordinis socialis, qui a malis violatur.

Ad 5^m. Iam huic sophismati fecimus satis in probatione ultimae conclusionis.

Ad 6^m. Cum Christus dixerit Apostolis quodcumque solveritis ligaveritis *super terram*; patet terram omnem esse territorium iurisdictionis ecclesiasticae. Nec repugnat in eodem territorio duplicem iurisdictionem exerceri, si iurisdictiones diversi ordinis sint, et una alteri subordinata, cuiusmodi est iurdictio politica et ecclesiastica.

Ad 7^m. Prohibentur quidem clerici ne causam sanguinis agant, eique active intersint: ita in decreto c. 30, caus. 23, q. 8 « His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet » etc. et in Decretalibus c. 9. *Ne clerici vel monachi*: « sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit »: si tamen clericus obtineat iurisdictionem temporalem, hanc in ordine ad causam sanguinis debet et potest, metu irregularitatis cessante, aliis delegare,

c. episcopus tit. eod. in 6^o. Verum omisso quod haec iura positiva non obligant seu non habent vim coactivam in supremam Ecclesiae auctoritatem, quae ipsa iura constituit, aliud prorsus est causam sanguinis clericos agere, quod lenitati sacerdotali non parum adversatur, aliud Ecclesiam sive personas habentes ecclesiasticam auctoritatem praecipere principibus secularibus ut perturbatores ecclesiasticae pacis et unitatis, haereticos praecipue, prout par est coerceant et pro merito puniant. Ecclesia sane probat leges civiles inferentes poenam capitalem haereticis, imo eas vult executioni mandari *c. ad abolendam de haereticis*. (Cf. Suarez de Fide D. 23^a). Quocirca foret contra lenitatem et mansuetudinem propriam Ecclesiae poenam capitalem per se exsequi, *transm.* per brachium potestatis secularis, *subd.* si ordo caritatis eam non exigat, *transm.* si exigat, *nego* suppositum, scilicet quod in hac hypothese lenitas virtus esset, nam vitium potius foret. Item Ecclesia abhorret a sanguinis effusione per suos ministros, *transm.* per ministerium brachii secularis, *subd.* in causis in quibus ea non est necessaria, *conc. secus, neg.* « Alia quippe (ait Gerhohus exposit. in Ps. 64, n. 31) sunt negotia, quae spiritualis homo sedens in cathedra Moysi per semetipsum potest administrare, alia quae debet sensatis laicis committere praecipue quae spectant ad vindictam malefactorum, contra quos minister armatus et iudex cinctus non sine causa gladium portat; quem nemo debet sua praesumptione accipere, ne gladium accipiens gladio pereat, sed ecclesiastica potestate ordinante secularem, atque interdum fraenante, interdum stimulante, sic per sanctos iudicentur nationes, ut ipsis iuste dominantibus munda sit manus et lingua sacerdotis a sanguine. » Et Ecclesia quidem primum lenius cum haereticis processit excommunicatione, tum etiam confiscatione, donec intelligens parum eas poenas proficere, iussit quoque a laica potestate affici eos supremo supplicio, quae est poena ipsis debita, tranquillitati politicae et ecclesiasticae societatis necessaria; voluit scilicet ut ea plecterentur poena quam iura civilia decreverant quae erat poena capitis. Cf. Constitutionem *Licet Urbani IV*, §. 12 et Constit. *Cum adversus Innocentii IV*, et can. 27 Conc. Lateranensis III. (Cf. Suarez ibid. Sect. 2^a). Hinc et proscripsit articulum 33^m Lutheri quod haereticos comburi sit contra voluntatem Spiritus S.

Ceterum haec ad modum parergi dicta sint: nos enim defendentes potestatem coactivam Ecclesiae in infligendis quoque poenis temporalibus praescindimus a poena capitali. Poenas vero minores pluries ipsa Ecclesia praescripsit, ut liquet ex citatis ipsis constitutionibus, et Lateranensi IV concilio oecumenico cap. de haereticis.

Ad 8^m. Ad auctoritatem Patrum quod spectat advertimus 4) te-

stimonia Patrum eum in finem a Richerio afferri ut demonstret Ecclesiam Romanam ab aetate potissimum S. Gregorii VII sibi usurpasse quod iure divino ipsi vetitum erat, atque errasse gravissime cum doceret potestatem coactivam corporalem sibi competere; ex quo consequens est haeticas esse e. g. bullas Bonifacii VIII et Ioannis XXII. Cum res huc tandem redeat, iam existit pro catholico praeiudicium certum quod vel non bona fide testimonia Patrum allata sunt, qui aliud prorsus doceant, vel non bene concluditur ex sententia unius vel alterius Patris, qui errare potuit.

Sane 2) distinctione accurata opus est tum inter actus potestatis, tum inter diversos modos ipsius exercendae. Quoad primum hi actus distinguendi sunt: a) potestatem civilem, qua humanae societates reguntur, sibi directe usurpare, b) armis sive poenis corporalibus adigere infideles ad fidem, vel generatim armis aut poenis corporalibus velle flectere mentes ad fidem, c) seditionem ciere erga proprios reges, d) arma aut poenas corporales adhibere in eum finem directe ut subditis ipsis Ecclesiae fides persuadeatur, e) potestatem coactivam corporalem adhibere in tutelam ordinis, atque etiam in correptionem subditorum malorum. Quoad modum distinguendum est α) inter modum proprium ministrorum Christi quo haec potestas exerceatur, et modum quo seculi principes cum pompa et fastu suam potestatem exercent, β) inter usum *immediatum* vel *mediatum* eiusdem potestatis, γ) inter usum *licitum* eiusdem vel *illicitum*, non enim semper licet uti potestate, quae habeatur.

Discrimen esse inter illos priores actus evidens est. Nam quod ultimo loco ponimus, quod est id quod nos defendimus, differt certe a primo; potestas enim Ecclesiae est potestas sacra erga Christianos prout tales exercenda pro assecutione sempiterni finis, quae potestas est prorsus alia ab ea qua cives reguntur in finem temporalem; quare qui illam sibi vindicat non adserit sibi principatum civilem. Differt quoque ab altero; nam potestas ecclesiastica exercetur in subditos, haec exerceretur in non subditos, in quos nulla est potestas. Tum quando agitur de flectendis mentibus ipsis ad fidem, medium ad id non est vis extrinsecus illata, sed persuasio: potestas vero coactiva eo per se spectat ut tueatur ordinem socialem: quatenus porro eo quoque pertinet ut subditus interius resipiscat, ea non ad id immediate tendit sed mediate, nempe *mediante persuasione*, fitque per poenam ut velit contumax, positus pravis affectibus, ad veritatem attendere, quae iam ipsi proposita fuit, rursusque proponitur, et ita persuasione flecti. Quare si quaeritur quomodo sit flectenda mens ad fidem, respondendum est simpliciter: *persuasione*: si vero quaeritur quibus indirectis mediis uti liceat ut quis disponatur ad amplectendam ve-

ritatem quemadmodum plurima sunt haec media, ita cum quis subditus est teneturque credere, et hoc quoque medium praesto est, nempe correptio corporalis. Sed si nullum sit ius exercendae potestatis coactivae in ordine ad fidem, ea perperam et iniuste adhibetur. Differt quoque a tertio tum quia conceptus est prorsus diversus, ea enim est potestas superioris in subditos pro ordine servando in societate Christiana, haec est perturbatio ordinis civilis contra superiorem societatis civilis; tum quia ex ea potestate coactiva in subditos Ecclesiae non sequitur quod fideles seditionem facere possint in proprium regem. Differt quoque a quarto, nam potestas coactiva corporalis est per se in tutelam ordinis socialis per violentiae repressionem; et cum ad emendationem adhibetur, supponit culpam, et est essentialiter punitiva: unde coactio inflicta est iusta, eumque in finem adhibetur ut quis poena admonitus velit sponte facere quod debet. Hoc porro aliud est ac directe cogere vi subditum ad certam fidei professionem, vel aliquid aliud volendum; nam ut paulo ante diximus, coactio sive poena corporalis iuste adhibita non eo directe spectat ut fides vel virtus alia interior eliciatur, sed cum pro emendatione adhibetur, eo spectat ut propter timorem exuat homo affectus pravos quibus ab assensu fidei aut amore virtutis impeditur, et sic dispositus sit ad obsequendum interius doctrinae, quae ei exterius simul cum coercitione proponitur, quaeque sola in eum finem directe spectat. Cf. Augustinum in epistolis citatis ad Vincentium et Bonifacium.

Iam vero Patres fere omnes qui ab adversariis adducuntur, ea ab Ecclesia excludunt quae vel primo vel altero vel tertio vel quarto loco enumeravimus, vel excludunt illicitum modum utendae potestatis quae ei competit. Qua in re illud praesertim habendum est prae oculis quod, salvo iure Ecclesiae adhibendi in suam defensionem temporalia media, si tamen civilis potestas renitatur, armaque sua conferat adversus Ecclesiam, prudentia frequentissime suadebit non licere Ecclesiae vim vi repellere, esset enim plerumque resistentia inutilis nec nisi damnum allatura. Id porro Patres considerabant cum sub Imperatoribus viverent qui nondum didicerant se ut par est subiicere Ecclesiae. Distinguendum est proinde in sententiis Patrum id quod ex Ecclesiae iure dimanat, et id quod ex circumstantiis temporum et personarum a prudentia determinatur. Vel tandem quidam Patres immediatum usum physicae potestatis quoad poenam capitalem improbant. Non vero excludunt Patres potestatem coactivam corporalem quam quinto loco posuimus, eiusque exercitium saltem mediatum. Speciosiora afferamus testimonia. Ambrosius oratione de basilicis tradendis negat se seditionem ciere posse contra

Principem qui per arma occupabat templa catholicorum; negat etiam sibi suisque licere vim vi repellere: non tamen dicit id per se esse illicitum, nec vere affirmare potuit: ius enim defensionis competit cui-libet erga eos quoque qui superiores sint; ergo ex circumstantiis operis oriebatur quod armata defensio tunc esset illicita: ad nihil enim profuisset, nisi ad exacerbandos animos magis adversariorum: sic Ambrosius temperat ac emollit furorem fidelium qui vim vi repellere volebant: « volens nunquam ius deseram, coactus repugnare non novi: dolere potero, potero flere, potero gemere; adversus arma, milites, Gothos quoque lacrimae meae arma sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere. » In Luc. c. 10. negat vim coactivam adhibendam pro trahendis hominibus ad fidem. « Eos misit ad seminandum qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. » Et ibid. c. 12. in ea verba Christi: quis me constituit iudicem etc. excludit principatum civilem ac mundanum. Gregorius M. L. III, Ep. 53 reprehendit Episcopum Constantip. quod passus sit presbyterum et monachos Isauriae caedi, vel ipse caedi iusserit: « quod autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene vestra fraternitas novit. Pastores enim facti sumus, non percussores. Et egregius praedicator dicit: argue, obsecra, increpa cum omni patientia et doctrina. Nova ergo et inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem. » Verum, ut iam monuimus, Ecclesia non utitur potestate coactiva directe ad hoc ut exigit fidem; sed doctrina patienter adhibetur: id tamen non impedit quominus contumaces puniantur, aliorumque corruptio per coercionem malorum impediatur. Affertur et eiusdem epistola 5^a L. V, in qua arguit Episcopum carthaginiensem, qui pro investigandis haereticis statuerat in Synodo eos, qui negligenter illos deferre, plectendos privatione substantiarum et dignitatum: « quamquam ergo haec ita se habeant, et desideremus omnes haereticos a catholicis sacerdotibus vigore semper rationeque compesci: tamen subtiliter intuentes nos tetigit, ne per ea quae apud vos gesta sunt, aliorum conciliorum primatibus, quod avertat Dominus, generetur scandalum. Sententia namque a vobis prolata est in conclusione gestorum, in qua dum pro investigandis illis haereticis admonetis, subintulistis eos, qui negligunt, substantiarum dignitatumque privatione plectendos. Optimum est igitur frater carissime, ut in his quae foris corrigenda sunt, prius caritas interna servetur, et simus mente subiecti (quod maxime proprium vestrae gravitatis iudicamus) etiam personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus haereticorum commodius obviamus erroribus, cum secundum morem sacerdotii vestri Ecclesiasticam studueritis

custodire concordiam. » Iam vero 1) hic Gregorius non negat potuisse eam poenam statui ab Episcopo: neque 2) simpliciter improbat factum: imo initio epistolae eum laudat quia « nullatenus devias haereticorum sectas cum fervore sacerdotali coercere negligeret. » Sed tantum 3) monet ut prius seu potissimum caritatis interiorisque unionis ratio habeatur, ut schismata vitentur: nimirum potestas ita exercenda est ut usus eius conducat bono Ecclesiae, quod est praecipue bonum unitatis; quod si malum schismatis timeatur, maiusque sit malum quam colari haereticos, ab iis poenis est abstinendum. Huiusmodi vero normam non negant qui potestatem coactivam Ecclesiae adstruunt. Porro qui normam praescribit pro exercitio potestatis, ille potestatem non inficiatur, imo affirmat; ergo. Provocatur quoque ad S. Martinum qui, ut refert Severus Sulpitius L. II. n. 50. Sacrae Historiae, et in Dialogo III^o vitae S. Martini n. 2^o noluit communicare cum Ithacio Episcopo Hispano, qui Maximo Imperatori persuaserat ut Priscillianistas haereticos capite multaret; satis superque, inquam, sufficere si episcopali sententia haeretici iudicati ab Ecclesiis pellantur: novum esse et inauditum nefas, ut causam Ecclesiae index seculi iudicaret. Verum vel id reprehendebat Martinus quod causam ecclesiasticam index secularis, auctoritate scilicet sua, iudicaret, quod certe nefas est, vel aliquid in eo negotio erat quod pravam Ithacii intensionem demonstrabat, ut Sulpitius in historia et dialogo significare videtur, licet res per se bona esset; vel si Martinus censebat in haereticos praesertim etiam civili societati infestos, cuiusmodi erant Priscillianistae, non licere seculari potestati gladio animadvertere, Ecclesiaeque ad id hortari Principes, errasse dicens est; licet enim hostes capitales reipublicae supremo supplicio plectere; Ecclesiaeque licet ad id alios hortari quod bonum est. Certe id licitum arbitratus est Leo M. epist. 15^a ad Turibium Asturicensem Episcopum respectu eorumdem haereticorum. « Merito patres nostri, sub quorum temporibus haeresis haec nefanda prorupit, per totum mundum instanter egerunt ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt ut auctorem eius cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent... Et profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati, quae et si sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum principum constitutionibus adiuvatur. »

In Chrysostomo potissimum exsultat De Dominis suumque hac in re praecipuum doctorem vocat L. V. c. 2. n. 33. Quid vero tandem Chrysostomus docet? Homilia 3^a in Acta (quas homilias quidam eruditi negant esse Chrysostomi) difficultates ministerii episcopalis